



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

An detractor restituere teneatur famam non solùm apud suos auditores, ut
certum est, sed etiam apud eos, apud quos ijdem auditores detraxerunt,
paragraph. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

§. V.

An detractor restituere teneatur famam, non solum apud suos auditores, ut certum est, sed etiam apud eos, apud quos iidem auditores detraxerunt?

Hic tria mihi sunt certa, unum incertum. Certum est mihi primò, si crimen propalasti viris gravibus, communiter reputatis ut probis, qui prudenter à te credebantur alijs non revelaturi ea, quæ à te etiam injustè infamante acceperunt, te non obligari, nisi ad restituendam famam coram his, non verò coram alijs, quibus ipsi propalaverunt. Ratio est, quia tunc per accidens est, respectu tui, ipsorum revelatio, & eorundem malitiæ imputanda.

a Villalob. apud Dianam p. 3. tr. 5. res. 34.

2. Certum secundò. Si idem his, vel etiam uni crimen proximi aperuisti, ut hi alijs patefacerent, te obligari, etiam coram alijs, quantum moraliter potes, famam proximi restituere. Ratio est, quia tunc ij fuerunt instrumentum tuum, tu verò causa principalis.

3. Certum tertio mihi videtur, si advertis, auditores tuos esse malos, & prævides, facile coram alijs locuturos ea, quæ illis manifestas, te obligari, etiam coram illis alijs, famam restituere. Ratio est, quia tunc videris esse causa directa ejusmodi oblocutionis, peccando non solum contra charitatem, sed etiam contra Iustitiam: siquidem ponis ignem detractionis in manu ejus, quem certo moraliter vides paratum ad in-

cedendam bonam segetem famæ alterius.

4. Iam verò incertum mihi est, an obliger restituere famam coram illis alijs, quando eosdem auditores meos ego non reputo probos, vel graves, sed nec reputo improbos vel leves; ut item non reputo eos oblocuturos, sed nec reputo non oblocuturos. Id certè communiter in praxi contingit, cum sapissimè à detractore non fiat animadversio de bonitate vel fidelitate suorum auditorum.

5. Affero, mihi probabile fieri, me tunc non obligari, nisi ad restituendam famam coram meis auditoribus, non verò coram alijs, quibus ipsi meam detractionem notam fecero. Ratio est, quia cū nemo sit præsumendus malus, nec malè oblocuturus, non censeo ego, quando præcisivè dicto modo me habeo cooperari cum ipsorum peccato, ut censeo in casu numeri præcedentis.

b Colligo ex Fabro apud Dian. l. c.

§. VI.

An se infamare quis possit.

Sine mortali, per se, posse, jam nunc est communis à doctrina, quia sicuti quis facultates suas per se, sine mortali, dispergere valet, ita suam famam, cujus est pari modo dominus.

a Sotus, Navar. alijs communiter, qui citat, sequiturque. Less. li. 2. c. xi. dub. 2. contra Cajet. 23. qu. 73. art. 2. & in summa, & detraçtio, contra quem etiam agit Bayhol. à S. Fausto in specul. Conf. d. 21. q. 5.

2. Dixi (per se) non lethali ter peccabitur,